

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

NOSTALGIA.

GULIELMO CATHERWOOD AUCTORE.

HOMO seu eum in statu rudissimo, illis incommodis quibus dotes et copiae suae perpaucæ eum subjecerunt laborantem, seu exornatum et excultum in sinu luxuriæ et urbanitatis molliter nutritum, spectamus, affectibus animi, qui vim habent ejus constitutionis physicæ moderandæ, flectendæ et mutantæ, æqualiter obsequitur.

A

Edinburgh
1815



Illi inest principium sociale quod eum consensu et amore ad consociationem ineundam, et connectiones carissimas formandas, impellit; quod eum quasi illi loco annectit ubi initio spiritum traxerit, et quod procul dubio fons magnus et equidem præcipuus est e circumscripta copia terrenæ felicitatis suæ.

Sensus jucundos, quos societas præbet, percipiens, summo cum oblectamento, varia phenomena naturæ quibus circumdatur, contemplatur. Diu assuetus eorum conspectui, vi imaginandi prænitidè culta, commercium cum iis quasi latens habet. Montes et silvas, quæ ex incunabilis recessus ludibundos suppeditarunt, peragrarare gaudet; et revera non rupes nec rivulus existit quicum (si mihi liceat sic loqui) notitiam intimam non habet.

Hæ imagines rerum menti inscriptæ efficiunt ut incolæ singularum regionum, quantæcunque sint privationes suæ, solum pa-

trium omnibus anteponant, nec omnes divitiæ nec deliciae, quas mundus pollicetur, Æthiopem sole ustum, nec Laponensem frigore algentem, cœlum pro jucundiore, mutare, inducere possunt.

Sed eheu! quam mutatus intuitus, cum infelix coactus est relinquere solum natale, et necessitas inevitabilis illum locum et illas silvas, e quibus omnis sua felicitas pendebat, deserere jubet. Facultas imaginandi, qua mens ejus donatur, scenam modo vehementissimo depingit.

—————“ While busy meddling memory
 “ In barbarous succession musters up
 “ The past endearments of his softer hours,
 “ Tenacious of its theme.”—BLAIR.

Non ad meum consilium pertinet dicere quantum hæc, heroes et veteres et recentiores, ad defendenda jura patriæ suæ et ad perficienda illa præclara facinora quæ hono-

rem immortalem pepererunt, incitaret; et quam verisimile sit illa, quæ a multis ambitioni et amori gloriæ tributa sunt, e consiliis magis dignis et incorruptis profluxisse.

Hic animi affectus, amor nempe patrii soli præter modum evector, catenam signorum morbidorum inducit, et malum peculiare constituit cui *nosologi* nomen *Nostalgia* imposuerunt: morbus qui, quamvis in his insulis saltem fere et rarus lenis atque fugax, tamen in nonnullis regionibus, eventus infastos et haud infrequentur fatales, peperit.

Hic morbus a Culleno, nostro Nosologo illustri, inter *Dysorexias* in classe locales ponitur et sic definitur,

“ In absentibus a patria vehemens eandem revisendi desiderium.” *

* Cul. Nos. Method.

Sauvagesius ei dat locum in classe VESANIÆ et denominat “ genus morositatis quo peregrini ad parentes et patriam suam reverti tam intensè cupiunt, ut reditu denegato, mærore, agrypnia, anorexia, aliisque gravibus symptomatis divexentur. ” *

Sagar de hoc morbo spatiose conscripsit et simul cum definitione nobis dicit se ipsum hoc malo laborasse “ olim in Croatia Crisii laboravi hoc malo cum apositia (i. e. cibi aversatio et abstinentia) et obstipatione intumueram ex anasarca, pervigil et debiles; redux ad patriam sine omni pharmaco convalui; desideramus varia ardentissime. ”

Affirmat multos e concivibus suis hoc morbo implicitos fuisse et causam hujus proclivitatis proponit. “ Ego puer persuasus fui a meis manuductoribus, omnes homines extra Carnioliam esse meros barbaros,

* Nos. Method, p. 221.

“ sicarios, crudeles, truces, immisericordes
 “ et vera monstra ; præterea Carnioli quas-
 “ dem contilenas sat inepta melodia ab in-
 “ cunabilis cantant, quæ felicitates et præro-
 “ gativas Carniolæ dilaudant simulque vi-
 “ tuperant omnes reliquas provincias et
 “ gentes, harum contilenarum jam sum ob-
 “ litus.” *

HISTORIA MALI.


INTER prima signa, quæ *nostalgia* affec-
 tos torquent sunt languor et inertia cum
 proclivitate luctuosa et lugubri, dejectio
 animi magna et desiderium fugiendi societa-

* Sagar, p.

tem illorum, quorum mores alieni, ingenio ægri tenebroso tam male respondent, ut in solitudine et locis non frequentatis, quæ tantam vim habent suppeditandi pabulum insolitum omnibus affectibus mollioribus, qui agitant pectora, delectetur. In his locis seclusus, e conspectu hominum remotus scenas soli natalis recordatur et ab imaginatione sua animatus, in situm suum carissimum et multum dilectum vectus, aliquamdiu illusioni gratæ indulget; sed illico e somnio excitatus in dejectionem animi lugubrem decidit, et dolores in omni luxuria mæroris, infelicem colit. Respiratio lente perficitur et frequentibus suspiriis interpellitur. Pulsus arteriarum est debilis, exilis, et tardus, et omnes functiones hebetantur. Dyspepsia cui accedit fastidium notabile omnium generum cibi et potus, ingravescit; alvus est adstricta; brevis et imperfectus somnus, quo ægri plerumque fruuntur, vix recreat et ad vires magis solvendas tantum tendit.

Tandem si causæ remotæ, morbo præbentes ortum, non tollantur, extenuatio corporis paulatim accedit, et sudores nocturni cum omnibus signis confirmatæ *hecticæ* superveniunt. Ex quolibet cibo in ventriculum et intestina sumpto male concocto, sanguis præter naturam tenuis cito evadit, quod simul cum circuitu tardo per jecur et alia viscera, *hydropem* plus minus generalem illico infert. Denique vita miseria et morbo exhausta, mors brevi sequitur et omni catervæ malorum ingravescentium miserum clementer eripit.

“ Moritur moriensque dulces reminiscitur arvos.”



CAUSÆ ABDITÆ.

JUVENTUTEM, hic morbus præcipue, quidem fere unicam, invadit. Labentibus an-

nis facultates animi non secus ac munera corporis deficere gradatim incipiunt. Principium sociale, quod cor calefacit et affectiones lætas roborat, torpori frigido et irritabilitati brumali cedit. Vires memoriæ languescunt, minus capaces evadunt, et hominum recentium vix ac ne vix quidem meminit. Imaginationi calor et vigor pereunt eaque multo minorem impressionem patitur.

Quædam nationes illi majis quam aliæ obnoxie sunt. Helvetii hujusmodi exemplo perinsigni extant. A scriptoribus antiquioribus de hac re multos e pauperioribus, qui angustis rebus relinquere parentes coacti sunt et præsertim milites Helvetios peregre stipendium merentes ad hunc morbum esse maxime proclives, et castra sæpe deserere, dictum est.

Ille morbus quoque sub nomine cachexiæ Africanæ cognitus, et quem plurimis ex

Afris, in coloniis nostris Indiæ Occidentalis occupatis, esse exitio constat, ex nostalgia originem ducere fere semper videtur; nam raro illos afficere non ex loco distante vectos observatus est, et proclivitas *sporadica* ut nomen ejus denotat, inter eos e litoribus Africæ venientes, apparet. Hi, mentibus nec curis ullis nec solitudinibus, occupatis, in otio vitam degere assenti sunt. Sæpe in societates conglomerati delicias concentus et saltationis et variorum ludorum frequenter excolunt, hinc vinculum societatis firmant, et vis imaginandi, exercitatione crebra, magnopere viget, sed cum ex amicis et patria rapti, et per magnum Oceanum Atlanticum translati, tristes et lugubres fiunt, cibum fastidire incipiunt, et multi ex illis in statim profundæ miseriæ et morbi, qui omnia auxilia medicinæ frustratur illabuntur.

Morbus ex aliis causis oriens, usui remedium idoneorum semper cedit. Sed hoc

malum pertinax et inveteratum, donec miseris in sepulchrum demississet, nunquam desinit. Plurimi existunt qui hoc malum victui pravo et insalubri, atque fortunæ sævæ quam nimis sæpe accipiunt, tribuerunt; sed in casibus innumeris non ita se haberi repertum est.

“ In the year 1783,” observat scriptor de morbis Insularum Indiæ Occidentalis, “ John
“ M’Gilvry, Esq. a provincial colonel well
“ known for his brave character, brought
“ here from Georgia between three and four
“ hundred negroes, who were for some time
“ employed on the public fortifications at
“ that time carrying on, and were in the
“ highest state of health during the hard
“ labour they were employed in; but when
“ he afterwards settled in Saint Thomas in
“ the East, they took to dirt eating. No
“ cause could be assigned for this but their
“ having lost the hope of returning to Ame-
“ rica. Their owner, being as humane and
“ kind hearted a man as ever lived, did
“ every thing to please and satisfy them.

“ He exacted little or no labour from them ;
 “ he furnished them with the greatest plenty
 “ of pork, beef, rice, and flour, notwith-
 “ standing they were in possession of hogs,
 “ poultry, &c. of their own. To contribute to
 “ their amusement, he built a dancing room,
 “ and furnished them with fiddlers ; but the
 “ malady was incurable. He lost above one
 “ hundred negroes ; when at last the old gen-
 “ tleman dying himself, those who remained
 “ and came into the possession of a very ri-
 “ gorous master, ceased to eat dirt, and
 “ very few afterwards died.”—Dancer’s Me-
 dical Assistant.

Omnes illæ causæ, quæ cor excitant et
 affectus sociales connectere et firmare ten-
 dunt, proclivitatem ad hunc morbum præ-
 bere videntur ; his principiis non alienatis
 vel repressis, occupatione mentis nimis va-
 lida in quæstum, vel ambitionem, vel viribus
 animi profunde et occulte in acquisitione
 scientiæ abstractæ exercitis ; nam ex his

causis labant omnes animi motus læti, et vis adhæſionis et amicitiae pedetentim frigescit.



CAUSÆ EXCITANTES.

Ex illis dictis omnia quæ ortum præbent mentis imaginibus cum solo natale connexis, omnia quæ aliquem habentia similitudinem, præteritas scenas et voluptates revocant, et desiderium vehemens sine spe cito fruendi, simul cum aliis impressionibus sedantibus, inducunt, causas excitantes hujus morbi esse, patet. Ex his musica inter valentissimas esse videtur; et pauci quidem existunt, qui hunc fontem jucundissimum voluptatis non diligunt.

“ The man that hath no music in himself,
 “ And is not charmed with concord of sweet sounds,
 “ Is fit for treasons, stratagems, and spoils ;
 “ The motions of his spirits are dull as night,
 “ And his affections dark as Erebus :
 “ Let no such man be trusted.”

Shakesp. Merch. of Venice.

Eam posse dirigere et fortiter afficere operationes et affectus diversos animi humani a nemine negabitur ; et revera præcipuum fuit instrumentum in omnibus sæculis et regionibus orbis terrarum movendi et dirigendi affectus ; animandi virtute milites, et levandi motus inordinatos agitati pectoris.

Est canticum, *pibroch* dictum, quod excitat fortem monticolam Scoticum in ardore pugnae, patriam et amicos suos in mentem revocat, eumque ad superandum omne impedimentum victoriae magnopere ciet. Dilectum carmen publicum Helvetiorum * cui

* Rantz. des Vaches.

ex ineunte ætate indulgere solent, in memoriam revocans voluptates patriæ suæ, Nostalgiam induxit; et tanta fuit vis ejus in milites Helveticos anno millesimo septingentesimo octogesimo nono cum fuerunt Versaliis, ut Galli, e quibus stipendium acceperunt, prohibere id cani, cogerentur, ne vexilla deserantur.*

Quoniam morbus in illis regionibus, quæ scenis silvestribus, grandibus et magnificis sunt egregiæ, quæ omnibus pulchritudinibus illecebrosis et luxuriosis naturæ abundant, sic omnes illæ eximiæ peculiaritates physicæ in alieno solo similitudinem reddentes, ut causæ excitantes hujus morbi, valide agent.

Plurima quoque utcunque levia per se, et quæ nunquam attentionem observatoris accuratissimi domi arripuissent, tamen rebus particularibus stipata, et in regione peregrina for-

* Dugald Steuart on Associations.

tuitò detecta, summi momenti fient, et effectum agendi fortiter in animum habebunt; cujus sequens egregium exemplum præbebit.

“ Whilst we were at dinner,” dicit ille navigator illustris præfectus King, in suis itineris, “ in a miserable hut on the banks of the “ river Awatska, the guests of a people of “ whose existence we had before been scarcely “ ly acquainted, and at the extremity of the “ habitable globe, a solitary half worn pew- “ ter spoon, whose shape was familiar to us, “ attracted our attention, and on examina- “ tion we found it stamped with the word “ *London* on the back. I cannot,” addit præfectus King, “ pass over this circum- “ stance in silence, out of gratitude for the “ many pleasant thoughts, the anxious fears, “ and tender remembrances that it excited “ in us. Those who have experienced the “ effects that long absence and extreme dis- “ tance from the native country produce, “ will readily conceive the pleasure such a “ trifling incident can give.”

Tale exemplum exhibet, e quam levis causis signa Nostalgiae interdum originem ducunt, ubi praedispositio ad morbum existit. Nec dubitandum est, hanc affectionem inter navales socios, spe cito revisendi solum natale, solummodo aversum esse. Spe omnino interclusa, omnes animi motus diversi, quae munera animalia et vitalia hebetant et deprimunt, maxime agunt. Equidem, ni fallor, maligna et saepe lethalis proclivitas ad scorbutum tam saepe inter navales comites observata, fere omnino ex his fontibus subministratur.



CAUSA PROXIMA.

Ut nostra scientia arcti nexu, qui dotes animi cum iis corporis consociat, et vis quam aliae habent in dirigendo et adhibendo mo-

do aliis, fere omnino in tenebris latet, saltem ad summum manca et imperfecta est, ulla investigatio minuta causæ proximæ hujus morbi ad *theoriam* inanem et conjecturam infructuosam tantum duceret.

Sed plane constat omnes illos affectus animi ortum præbentes morbo, utcunque eum inducant, vim maxime sedatricem habere. Illud principium vitæ, qualecunque sit, ex quo animal pendet, magnopere sedant et sequentem torporem in omnibus partibus ei inservientibus, gignunt.

Spes, gaudium et fiducia corpus valide exhilarant, vires moventes stimulant et actionem fortiter contagio renixuram servant. Equidem exitus bonus curationis inanis medicorum circumforaneorum, his inductis, quam remediis ipsis sæpius ascribi debet. Metus et luctus effectum contrarium agnoscunt, rotas actionis et vitæ tardant, et compaginem totius corporis omnino laxant.

Sed conari reddere rationem modi agendi illius, quem tantum nomine scimus, reverà supervacuum esset.



DIAGNOSIS.

QUONIAM morbi *Adynamicæ* multi multa hujus morbi signa agnoscunt, ut rite dijudicemus, ad historiam et colloquium ægri præcipue confugiendum est. Nam sæpe in medio sermone lachrymæ labentes operationes abditas luctuosi pectoris plane monstrabunt. Cum medicus ægrum videt magna virium resolutione laborantem; qui cum macie totius corporis, omnia signa *hecticæ* remittentis habet, in mentem veniet vermes fortasse miserum depascere, aut phthisin pulmonalem, cui præ omnibus similitudinem arctissimam refert, ad inferos

victimam brevi demissuram esse: ast pro læta hilaritate, quæ sæpissime phthisicis occurrit, dejectionem animi umbrosam premere, sine vestigio sputi purulenti, et ægrum meditabundum, gregem festivam assidue evitare, notat; sed præsertim cum videt malum, ejus conatus tantum ludificare et medicamenta, sine ulla fructu, potius cum detrimento manifesto, sæpius usurpari: aliam causam explorare, et radicem morbi ab historia advenæ expiscari, actutum impelletur.



DE CURATIONE.

Ex omnibus antea dictis consilium mendendi in hoc malo facile edisci potest, ideoque perpauca tantummodo dicenda sunt. Namque patet, totum agmen medicamentorum, quæ aut solertia provida medicorum

aut fortuna cæca pellacium Empiricorum quandocunque detexerint, parum valere; et curatio mali solummodo petenda est reditu in patriam nativam: nam utcunque æger sit debilis, et imbecillis, in speciem, prorsus ad umbram redactus et ad faciendum iter omnino inhabilis, attamen fausta signa jamjam in apparatu itineris sui quamprimum prodent sese. Tempus quod lento pede antehac serpserat, nunc volucer, cito abit. Vigorem et alacritatem suam solitam recuperat: sanguis luridam genam denuo revisit; et æger, quasi incantamento mutatus, paulatim pinguescit.

Professor Home, inter prælegendum exemplum nostalgiæ citavit. Æger erat supplementum *Walliense* qui summa debilitate laborabat cum extenuatione corporis insigni. Accessiones hecticæ bene signatæ inveteratum et lethalem morbum manifestè prænuñciabant. Equidem haud post longum tempus miser inter mortuos præmaturè recen-

situs esset, ni sagacitas et acumen medici, qui ei auxilium præstaret fontem mali cito deprehendisset. Commeatus e præfecto militum per hebdomadas sex illico obtinebatur, et ille qui tam multum redactus erat, et in quem neque vinum nec carminativa aut quælibet medicamina ullam potestatem habebant, subito ab inferis exuscitabatur et nuncio ex optato, se brevi tempore patriam suam denuo revisurum esse, ad salutem restitutus est.

In quibusdam exemplis vero morbus non tam gravis aut lethalis est, et ei reditus ad patriam non commode fieri, aliis modis in toto fortasse amoveri possit.

Omnes causæ excitantes quomodocunque nascentes sunt evitandæ. Affectiones lætæ et hilares animi suscitandæ sunt consortio amicorum venustorum, comissionibus, et variis ludis. Ad cursum fluidoram debitum insturandum illæ quæ exercita-

tionem lenem et crebram corporis comprehendunt ut equitatio, navigatio, aucupatio, et similia, haud parum adjuvent, ideoque nunquam præter mitti debent.

Sed cum torpore et inertia cerebri et nervosi generis, durities alvi pertinax nunquam non adest. Hæc catharticis acribus et repetitis semper amovendum est. Experientia docet hanc consentudinem summi momenti esse. Commercium intimum, quod inter affectus animi et statum ventriculi et tubi intestinalis obtinet, in multis morbis sæpe observaretur et vis, quâ alter vitio alteri invicem afficitur, in obscura est nemini.

Equidem affectiones hypochondriacæ et melancholiacæ et haud infrequenter proclivitas ad suicidium interdum e conditione prava et omissa alvi in toto oriri videntur; et adhibendo animum huic rei, calamitosi exitus multi sæpius præverterentur.

Ad vires roburandum et suscitandum tonica et stimulantia ut vinum cum cinchona, vel si pervigilium ex agitet, opio conjunctum. Gas oxydum nitrosum, cujus vires stimulantibus nulli fere effectus deprimentes sequuntur, forsitan cum bono exito usurpari potest.

Læsiones organicæ jecoris vel aliorum viscerum, serius ocysus haud infrequenter oriuntur. Ad hoc malum debellandum preparata ex hydrargyro, acidum nitrosum, &c. sunt administranda.

FINIS.